DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. FEBRVARII.

M. IOANNE MAVRIN, Doctore Medico, Præside.

An febribus balneum?

1107.

VT ſimili ſtat ſanitas, ita contrariis morbus euertitur. Eò ſe contendunt Naturæ vites quam, Ars quemadmodum aliquando ſociam operis juuat, miniſtram regit: ſic ſæpiùs magiſtram imitatur, ſequitur ducem. Contrariis curare Naturæ magis quam Medicinæ lex eſt non hominibus tantum inſita, vt & aliarum bonarum artium primordia, ſed brutis etiam, nedum Medicorum ſit propria. Non cujus-libet tamen aut rei aut temporis tametſi perpetua eſt. Huic in ſimplicibus morbis ſemper acquieſcendum apertæ & ſecuræ, tum in compoſitis iis quorum partes in vnum conſpirant. Quæ ſi inter ſe pugnant, difficillimum æſtimandorum vniuſcujuſque indicij momentotum munus & negotium exhibent Medico, cujus tunc officium, eſt, & illis ſine quorum ſanatione cætera, tametſi magis obuia, depelli nequeunt, primam curam adhibere; & ſi quid magis vrget ejus vel ante omnia vel ſolius habere rationem. Ita tamen vt, ſi licet, ad cætera reſpiciat, iis dum res tulerit daturus operam. Sic cum cauſa morbo conjuncta primas, dum conſentiunt, in medendi ratione obtinet: dum aliud morbus, aliud cauſa poſtulat, illius aut neglecta aut ſanè in aliud tempus dilata procuratione hanc tibi ſumes impugnandam, ſiue externa ſiue interna ſit, cum nemini liceat relicta cauſa morbum petere, numquam eo pacto niſi cum vita deſiturum. Qui ſecus faxit is vtrumque artis cardinem ſuſtulerit; cujus ſumma votorum eſt vt proſit aut ne læ dat, vel ſi nocere temporum iniquitas inuitam coëgerit, plus juuet; cum vix humanum ſit perfectis conſummatiſque bonis vti. Horum fines attigerit Medicus, qui vnicuique vitio ex aduerſo remedium opponet, vt calori, frigus; ſiccitati, humorem; aſtrictioni, laxamentum; obſtructioni, libertatem viarum. Accedat modo omnis curationis anima tempeſtiuitas: quæ quemadmodum, ſi abſit, ex alimentis noxia fit, ita, dum adeſt, ex noxiis elicit profutura.

CALORE viuimus, calore morimur, à quo non pendet ineluctabilis fati neceſſitas; argumento numquam, experimento nimis probata. In eo ſanitas morbuſque. Vnus vtramque vitæ paginam facit: quæque fœlicitatis, quæque miſeriarum eſt. Is ſi apudnos, ſiue Natura aduerſus humorum contumaciam excandeſcente, ſiue morbo naturalem illius modum acuente, præter conſuetudinem exardeſcit, febris eſt; quæ, quamquam cujuſlibet partis eſſe poteſt, ejus tamen eſt præcipuè quæ vt ſanguinem, tum eum quem inflammauit, & per arterias effundit, tum eum quo ſolo nutriuntur partes manatque venis: ita & calorem emittit; vecturam ſimul & vehiculum de ſuo largita. Is quemadmodum vbi valebat animal ſpirituum impetui moderabatur, humorum tuebatur integritatem, partium lapſum reficiebat; nunc aut ſpiritus incendit, non intactis quidem ſed puris adhuc humoribus, aut humores corrumpit, aut partes abſumit quas olim compegerat; cœleſtis, nec tamen extra numerum elementorum poſitus. Inde triplex exoritur genus Ephemeræ, Hecticæ, Putridæ, cujus tot capita ſunt quot in vnoquoque horum ex quibus coaluimus corruptelarum genera. Quibus ſi alios diuiſionum quaſi fontes adjungas: ab rei ipſius natura in leuem & grauem; à motu in continuam & intermittentem & curioſiùs rem diuiſeris & meliùs. Nam quod alia ſit ſyncopodis, elodis, pemphigodis ſi adjeceris: non rebus augebis diuiſionem, ſed verbis quorum toleranda non exigenda diligentia eſt. Non enim naturæ leges: ſed nimis otioſæ ſedulitatis inuenta ſunt. Febrium tametſi varia, pro varij fundi in quo hærent indole, natura eſt: idem tamen genus, vt quæ vis extinguenda ſit, at non eodem modo. In quibuſdam merus ardor aduerſo frigore tollendus eſt. In aliis non aduerſa fronte, ſed inſidiis & cuniculis expugnandus ſublata cauſa, ſubducta materia; qua ſuperſtite ſi de concepto igne extinguendo cogites, ſymptoma, ex quo nulla in curando ſumitur indicatio, pro morbo petis, vmbram pro corpore.

QVÆ partibus ipſis paſcitur febris, nullo nonnumquam alio genere præeunte nata, nudæ qualitatis eſt, ſiccatas aut ægritudine aut temperamento proprio carnes carniumque fibras ad marcorem vſque digerens niſi obſtes. Ab eo nullus ad vitam, niſi per Philippi ſenium, reditus. Id tum demùm inducitur; ſi ſiccitati, calore ſublato, tardius lethalis frigiditas artis beneficio acceſſerit, cujus aliquando munus eſt etiam inſanabilia curare, ſi vel tolerabilior inde vita vel tardior futurus ſit interitus. Æquabilis illa procedit, nullis acceſſionibus niſi poſt cibum ingraueſcens, iiſque mendoſis; vt ea ratione nulla ſit in auxiliorum temporibus dubitatio, quæ eadem incipienti prouectæque debentur, vt euentu diſparia ſic cautionibus. In putridis alia res; quæ ab his, non tantum cauſis & natura ſed motu diſtant. Retentorum excrementorum, ſuppreſſiſque, aut ſupra naturæ vires cumulati ſanguinis, nec debito refrigerio gaudentis ſoboles hoc malum, ad veneni malitiam nonnumquam peruenienſ, adeo plurima homini ex homine mala contingunt, eaque peſſima. Fetuor ille nunc ejuſdem tenoris & perpetuus, (ita tamen vt ſenſim augeſcat, aut minuatur ab initio; aut ſibi omni ex parte conſtet donec vel morbum fugauerit natura vel naturam morbus oppreſſerit) nunc acceſſionum vicibus interpolis; ſiue poſtmodùm rediturus deſinat, ſeu derepente ſeipſum incitat vt remittat non diſceſſurus, quæ mutationes aut quarto quoque die redeunt, vnde quartana in qua Medicina clinice non parum prodeſt; aut perendie, vnde tertiana, ſiue à bile, quæ febrem, niſi corrupta, non facit, ſiue à ſanguine; aut quotidie vnde, & ratiſſimum & contumaciſſimum febris genus, vix vnquam intermittens. Huius viciſſitudinis rationem quæſiuere multi, repperit nemo. Quatuor in his, niſi mors anticipat, velut ætates agnoſcuntur. Principium triplex. Vnum verum, artificioſum, & ad medendum accommodatum; in quo morbi tum crudi, fortiſſimique vires occultat afflictio naturæ. Nam primum ægritudinis momentum ejus initium eſſe; neminemque vltra temporis punctum valere: vtrumque verum, vtrumque negligendum. Tridui vero aut quatridui principium latius dicitur, & falſum nec commodum; vtpote quod nec ad circumſcribendum initium morbi confert, nec ad intetnoſcendam febris naturam, quæ prima acceſſione Medico ſimplex innoteſcit, non circuitus dies numeranti ſed febris naturam ex propriis notis inueſtiganti. Augmentum, in ſalutaribus imminutio morbi, naturæque juſtæ & apertæ dimicationi præludentis in hoſtem excurſio quem tum demùm decretorio certamine profligatura eſt cum totis viribus incumbit operi. Tunc qui vigor morbi dicitur eſſe, naturæ prius laceſſitæ nunc laceſſentis pugna eſt in victoriam eruptura, ſolis terribilis idiotis, Medico jucunda, vnas applaudentis & otioſi ſpectatoris partes obituro, niſi præcox conatus, ideo leuior, nec in perfectum triumphum deſiturus auxiliares artis imploret copias, quarum ſubſidio, repetitis præliis tandem bellum conficiet. Quartus ille tectius tragœdiæ actus imminutio eſt, in qua nemo niſi proprio aut alieno peccato periit, non ratione morbi. Coctione tria hæc aut in efferis quæ coqui nulla ratione poſſunt mitigatione conſtant & euacuatione, in quibus & humores ad exitum parare artis eſt operæpretium & quos inuenit aut facit exitus natura, liberiores & apertiores reddere. Quæ ſpirituum eſt ab vnius diei ſpatio nomen habet, non durationem cum ſynochum ſimplicem complectatur. Sudoribus abire ſolet quorum curſum juuare iis potiſſimum expedit remediis, quæ ſiccitatem, à qua ſæpe naſcitur, & cutis aſtrictionem ſedandi vires habeant.

VT aquis nihil aut communius aut vtilius: ſic, ſi male vtare, nihil pejus reperias. His nec ſani carere debemus, nec poſſumus febrientes; vt tanta major in ejus vtendæ molliſſimis temporibus ſit adhibenda cura. Bibitur, affunditur, apponitur. Inde potus, embroche, balneum. Hujus vſus, vt pleraque, à neceſſariis ortus olim ad nimium luxu peruenerat. Tanto pernicioſior quanto jucundior, inſtar boleti voluptario veneno plurimos interemit; ſubitarum mortium inteſtatæque ſenectutis accuſatus, non reus. Hujus commoditates enumerare infinitum, ſuadere difficile, ſtructuram diligentius perſequi penè ſuperfluum, nec hujus ætatis, in qua obſoleuit vulgaris olim & quadrantaria res, nec in oblectamenta ſed in vſum reperta; & ad vnos diuites tranſlata eſt, alterum & præcipuum ab alimentis, vitæ fœliciter degendæ præſidium, in ſedentaria præſertim & vrbana vita ſuccedaneum exercitationis. Calidum eſt aut frigidum, illud aut feruens aut temperatum, hoc aut eximij frigoris aut ſole caſtigati aut repidum, ſimplex aut medicatum. Frigida, quis credat, & feruida, vtraque eodem modo cogit corporis ambitum ad calorem non ſecus ac ad frigus cohorreſcentem, vt inimicæ qualitati præcludat aditum; vtrique in ſoluenda tantùm continuitate doloriſicæ. Feruida his conuenit qui propter corporis laxitatem extenuati, linquuntur animo, ſudoribus non peilendi robore, vt in criſibus fieri ſolet, erumpentibus, ſed impotentia retinendi manantibus. Frigida carnoſis vtilis, quorum corpora ſolidiora fuit & coloratiora, coctionem promouet, appetentiam erigit, calorem reuocat; nihilo tutior his affuſa quos tremit diſtendit rigor, macilentis peſſima, niſi prius caldario paratæ carnes frigus innoxiè recipiunt. Ad frigidam, & eam referas quæ ſolibus quaſi fracta & attenuata eſt. Publicis lauationibus plures lædit quam juuat, eos præſertim quos impetigo ſcabiesve male habet, niſi jam præter ſquammulas nihil ſupereſt, quas profluens aufert. Arte temperata calorem majorem facit non acriorem, corporis aperit ſpiramenta, vias publicas laxat, humores, quorum partem educit, facit ad fluendum aptiores, eò mirabiliore temperatura quod æſtuantibus pro refrigerio, algentibus eſt pro fomento ſitim mouet non ſitientibus, ſticuloſos ſedat. Aqua medicata corporis admixti vim retinet. Namquæ ſponte calent ab his tibi in febribus cauendum puta. Nihil diuini apud eas præter ſulphur aut fulmen inuenies. Temperata ſanguine ſolia, pejus quotuis morbo remedium, impotentis ſui ſupremæ tyrannorum poteſtatis inuentum, Ægyptiis regibus remitte, non Elephanticis. Lactis aſinini balineas Poppeæ aut ſi quæ alia pulchritudinem malis artibus quærit, cui conciliandæ numquam operam dabit Medicus veræ profeſſor coſmetices, vnius Socraticæ pulchritudinis ſtudioſus.

FEBRIS putridæ principia qui balneis aut frigidis aut calidis excipit, nocet. Nec potui data frigida confert nec apposita; fruſtra morbum aggreſſa minuere cujus cauſam promouet. Calida cum pota proſit, lædit extrinſecùs. Illa cauſam putredinis auget, quam efflari prohibet: hæc ejus ſymptomata facit acerbiora, cauſæ nihil detrahit. Aliis & fortioribus machinamentis, principiis obſta. Inediâ & venæ ſectione ad deliquium animi, præceps morbi genus ſynochum vtramque jugulabis. Purgantibus, in quibus aut laſciuiunt humores, aut inſigni malignitate coctionis ſpem omnem adimunt. Plenis damni, ſi non ſucceſſerint, auxiliis; quæ cum cuilibet noſcenda ſint, ſunt tamen vnis in arte jam diu ſubactis ad vſum reuocanda. Leuiotibus accommodabis eadem, ſed leuiora. Victus rationem in primis, vt difficillimum ſic præcipuum ineuntis febris remedium. Verum vbi maturitatem ſuam adepti ſunt humores ſeu cocti ſeu domiti: tunc dum vino & his quæ ducunt vrinas aluique prolutionibus per patentes tranſitus omni vecturæ genere naturæ ſarcinas leuas, accedat & per corporis ſpiracula leuamen, quæ ſuis impedimentis admixtis balneo detergentibus expurgabis, vt tum demùm libera ſit naturæ optio quod ſupereſt oneris per paratos vbique narium, pulmonum, alui, renum, cutis exitus aut effluxu ſanguinis excutere, aut ſputationibus, aut feceſſu, aut vrinis, aut ſudoribus. Palmarium erit tum balneo ægrotantem demergere dum per madorem ſui te deſiderij monet natura. Id ſub finem acceſſionum fieri conſueuit, quarum initio nec paſci niſi ſqualore febrientes nec lauari conuenit quod fiet in remiſſione fœliciter, ſi non cohorreſcat corpus prius ſuperfluitatibus vacuatum; ſi nullum viſcus imbecillum; ſi miniſtrantium externarumque partium aliqua facta ſit debilior. In hecticis ſit in antecedſum tepidarij frigidariique caldarium: ne neruoſa tenuiaque membra durius feriat algoris periculoſa medicina ſed neceſſaria. Denique febres ephemeras è ſiccitate natas aut frigore ſiue ſolum ſit ſiue cum aſtrictione conjunctum, aut ſordibus, ſi nulla ſubſit inſignis putredo, quid balneo moderato tutius perſanabit aut citius, aut ſuauius ſeu humeſaciendo, quod magis faciet, ſi oleo miſceatur, ſeu reſerando?

547

Ergo febribus balneum.

R.F.P.

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS DODART Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LX.